

pe Vestis, Axis in peritorchio, Tracta, Rotæ dentate, Planum inclinatum, Cochlea, & Cuneus, quibus tot mirabiles effectus tum in solidis, tum in fluidis operantur.

202 Istæ vocantur primæ Mathematicæ, quia ab ipsis oriuntur secundæ, quæ sunt quatuor, nempe Cosmographia, Mechanica, Optica, & Musica: Cum enim ipsa ultra quantitatem considerent aliquod particulare corpus, si cum ipsa quantitate adjungatur motus circularis, oritur Cosmographia, si motus rectus Mechanica, si umbra, aut lux, Optica, si sonus, Musica.

203 Cosmographia describit universum Orbem, divisa tamen in suas partes, id est, in Astronomiam, seu Astrologiam, quæ est scientia astrorum; in Geographiam, quæ est descriptio terræ; & in Meteorologiam, quæ est cognitio corporum imperfectorum. Sub astronomia, seu astrologia comprehenditur Uranographia, id est, descriptio cælorum, Sphæra, id est, scientia primi mobilis, & Theorica planetarum, id est, doctrina particularis astrorum.

204 Sub Geographia comprehenditur Hydragraphia, quæ Marium, Insularumque descriptionem exhibet, Chronographia, quæ in particularium tantummodo regionum, regnorum scilicet, & provinciarum descriptione versatur, & Topographia, quæ singularium dumtaxat locorum, nempe unius civitatis, villæ, aut pagi descriptione contenta est.

205 A Meteorologia considerantur omnia corpora imperfecta, quæ solent reduci ad quatuor principia, nempe ad exhalationes, vapores, halitus, & Fulgines, quæ à quatuor elementis exire dicuntur.

207 Mechanica, aut Machinaria comprehendit sub se quatuor partes, id est, Mechanicam simpliciter dictam, quæ movetur à seipsa, Pyrotecnicam, quæ movetur ab igne, Pneumaticam, quæ movetur ab aere, & Hydraulicam, quæ movetur ab aqua.

208 Optica, seu prospectiva dividitur in Opticam propriam, quæ considerat radios directos, in Casopricam, quæ reflexos, & in Dioptricam, quæ refractos. Ad primam reducitur pictura, ad secundam specularia, seu scientia speculorum, ad tertiam scientia Microscopiorum, Telescopiorum, & Conspicillorum.

209 Musica dividitur in vocalem, & instrumentalem, vocalis continet melosam, seu concentum, vulgo armonia, melodia, rithmicam, & poeticam: Instrumentalis continet concordicam, quæ fit nervis, seu vulgo corda, & similibus; Pneumaticam, quæ fit flatu, uti cum buccina, seu tuba, & similibus; & Crusticam, quæ fit pulsatione, uti cum tympanis, & similibus.

210 Ex his divisionibus colligitur, quod cosmographia habet pro objecto magnum Orbem, & aliæ exiguum mundum, quia illa considerat Orbem universum, & aliæ particularia objecta sensuum; id est, Mechanica pro objecto habet tangibile, Optica visibile, & Musica audibile, seu auditu perceptibile.

211 Secundis Mathematicis succedunt tertie, quæ sunt quinque, nempe Chronologia, Gnomonica, Architectura, Navigatoria, & Ars Militaris. Ad Chronologiam, quæ est scientia temporum, id est, quæ certis notis, & indicibus præteritarum rerum memoriam suis temporibus assignat, reducuntur Historia, & Genealogia. Ad Gnomonicam, quæ est scientia umbrarum, reducitur diversitas horologiorum solarium, horologia autem rotaria, arenaria, clepsydrica, seu aquaria pertinent ad mechanicam, seu machinariam. Architectura, quæ est scientia fabricarum, seu edificationum, dividitur in civilem, nauticam, & militarem: prima subdividitur in privatum, & publicam. Secunda in tot partes, quot sunt navium varietates. Tertia in defensivam, uti sunt fortificationes; & offensivam, uti sunt arietes, cuniculi, vulgo mine, & similia juxta temporum, & locorum usus.

215 Navigatoria continet duas partes, unam ad invenientium portum, & aliam ad recognoscendam viam; tota penitus dependendo ab Astronomia, à Gnomonica, à

216 Geographia, & à Magnetica. Ars militaris tradit modum ducendi, & reducendi exercitum, irruendi in hostes, pugnam cum ipsis committendi, & ab ipsis defendendi.

(Titulus 18. in quo de arte, & propugnacula prævidendi, & tuendi modo agitur, duas, & triginta leges complectens, tit. 19. in quo per novem decisiones, Quævis erga custodiam regiam populus debeat esse præcibitur, tit. 20. in quo Quævis territorium versus ubi quisque moratur, per octo determinationes decernitur, tit. 21. in quo per quinque & viginti de Equitibus (litter. T. pag. 46. col. 2.) fit sermo, tit. 22. in eo per septem tractatur de Exercituum Ducibus, peditibus Ducibus, (Adalides, Almogavares seu Almocadenes olim cognominabantur atque etiam de militibus; (antiquitus Penes vocati) quoque demonstratur quas partes eorum singuli erant habituri, quomodoque eligendi, posteaquam fuerint recogniti, ne despicias cum tit. 23. & 24. part. 2. idem efficere, in primo per triginta leges de bellis pertractatur, (litter. B. pag. 289.) in eadem quid sit bellum, quæ sint ad idem paranda, Ducem Exercituum quomodo sum eligendi, & quales, cur obtemperandi; quibus (litter. l. pag. 179. col. 2. in fin.) iter faciendum, signis, pertingitur; agmina formandi modum referre non prætermittitur, videlicet formato & quare ita fiat, proponitur, aciei, mole, cunei, muri, circuiti, cybararum; &c. per multa alia, digna ut memorie tradantur, discernuntur; in secundo navale prælium designatur, quæ sit, quot homines, & quales in eo necessarii, (Ad rem verb. Assecutatio, in noviss. pag. 242.) leges decem continet; neque perlegere dubites tit. 4. 5. 6. 7. 8. 10. & 13. lib. 3. Recop. Ind. in eis advertitur tractatus, de bello, armis, pulvere sulphureo, pilis plumbeis, fabricis ac propugnacionibus, arcibus, castellis, seu præcediis, eorum Castellanis sive Gubernatoribus, Ducibus, militibus, armamentariis Tribanis, prædonibus denique & pyratibus. Vide etiam tit. 9. part. 5. ac 10. lib. 7. Recop. Cast. de Navibus pertractans; non omittitur priorum sex tit. lib. 6. Recop. ejusdem. perlectio seu recognitio, atque omnium ex tit. 15. ad minus usque ad 25. lib. 9. Ind. Recop.)

MONITUM.

Innumera sunt futilia, quæ Auctor noster ex omni genere Librorum sine critério ullo in hoc articulo de mundo concessit, quæ si velimus omnia ad sanæ criticæ amissum expendere, opus sane magni laboris, nulliusque utilitatis iniremus; satius enim esset rem retractare. Quis porro inanes questiones, aniles fabulas, turpes vanasque allegorias, ac Sacrorum Bibliorum abusum referre sustineat? Pauca tantum animadvertere satagamus.

De Paradiso terrestri multa habet à num. 56. ad 217 62. quæ doctis Viris non probantur; quare videatur omnino Petri Danielis Huetii Episcopi Abricensis eruditissimus de Paradisi situ tractatus, in quo & aliæ quæstiones huc spectantes resolvuntur.

Quod de Henoch ait num. 62. cum Genes. cap. 5. 218 vers. 24. habeamus: Ambularisque cum Deo, & non apparuit, quia tulit cum Deo; non facit pro ipso, nec contra ipsum Auctorem in proposita questione.

Num. 69. adducit verba martyrologii Romani pro asserendo anno Nativitatis Christi. Advertas tamen, Ecclesiam, quum Scripturam Sacram vulgatæ editionis ab Hebraico potissimum fonte translata sit authenticam nobis proposuerit, in medio reliquisse, Hebraice ne, an Codicis calculos recipere velimus; nam in Vulgata, Hebraeorum; in martyrologio, LXX. Interpretum sequutum computum invenimus.

A num. 90. ad 104. de mundi systematibus agens, 220 quum Purchotio, vel P. Fortunato à Brixia utitur, inoffenso Ferraris pedè legi potest; non vero quum quid de suo addit, vel turbidis fontibus haurit. Videnda igitur de systematibus mundi, præsertim Copernici, Cartesii, Newtonii, & Whistonii, Introductio ad Historiam Universalem Anglice editam, & Gallice versam anno 1732.

Iis, quæ de rotunditate terræ num. 105. adducit, 221 utpote jam antiquitatis, substituenda sunt ea, quæ Astronomi Galli à Rege Christianissimo ad Polum archicum, & à Equatorem missi, nostra ætate scripserunt,

à quibus apparet, terraqueum globum circa Poles esse planiorem, quam versus Equatorem.

Cetera Ferraris sphalmata quisque primo intuitu cognoscet.

† In hoc monito editorum Theologus noster asserit, quod Lucius de Paradiso terrestri multa habet à n. 56. ad 62. quæ doctis viris non probantur. Et tamen ibi adducta à me sub num. 56. tradita sunt ab Eruditiss. Calmet, allegata num. 70. Interpretes, & etiam à doctissimo Tostato. Quæ num. 57. tenet communior inter Recentiores sententia, teste nostro Frassen, eamque pluribus probant Sixtus Senensis, Cornelius à Lapide, Maldonatus, Genebrardus, Pererius, & plures alii id colligentes ex Sacra Scriptura. Quæ num. 58. tenent Genebrardus, Frassen, Tostatus, & plurimi Patres tam Græci, quam Latini, ac etiam plerique Hebræi apud Malvendam, & ad id adducitur etiam Eusebius, & S. Hieronymus. Quæ n. 59. excepta sunt ex Abulensi, Vincentio Faga, Frassen allegante S. Augustinum, & Mosen Barcepha. Quæ num. 60. tradunt S. Epiphanius, Augustinus, Tertullianus, Sixtus Senensis, Delricus, Bellarminus, Gregorius Valentia, Malvenda, Suarez, & fere omnes tum veteres tum recentiores, ut testatur Tirinus Eruditissimus asserens, id tenere Sanctos Ireneum, Isidorum, Hieronymum, Justinum, & S. Thomam, & etiam Abulensem, Cornelium à Lapide, Sallianum, & novissime tradidit piissimum, & Eruditissimum Clericatum nelle spiche vulgari idiomate raccolte, verb. Elia, & Enoc, ubi ex historia cronologica nostrorum Franciscanorum Religiosorum Jerusalem scripta à Patre Joanne à Calahorra Observantis Provincia Burgensis lib. 2. cap. 4. refert mirabilem successum nostri Venerab. Fratris Benedicli ab Aretio, ab Angelo in Paradisum terrestrem translati, indeque incolumis ad portum civitatis Anconæ, & à me ibidem num. 61. ad corroborationem, & ut jacet, ex ipso transcriptum. Unde si Theologo nostro cum suis doctis viris tacito nomine allegatis, non probantur tradita à num. 56. ad 62. sufficit mihi, quod prius fuerint probata, & tradita à Patribus, & Doctoribus undequaque omni eruditione, & virtute præstantibus à me citatis. Quod ego sub num. 69. adducam verba Martyrologii Romani pro asserendo anno nativitatis Christi, sine ullo critério, quod est extra meum institutum, venio potius commendandus, quam censurandus, quum ex documento Seraphici mei Patris S. Francisci velim in omnibus, & per omnia sequi Romanam Ecclesiam, quæ, relicto omni critério, de anno nativitatis Christi tenet, & servat universaliter, & ubique, ut canit in ipso Martyrologio. Fontes autem à quibus Ego me asserta hauri, nequaquam sine injuria dicendi sunt turbidi, nisi quæ turbidis oculis eos ut turbidos apprehenderit. Quæ Ego trado de rotunditate terræ, dicit noster Theologus esse jam antiquata, & tamen ea sustinent etiam inter alios Purchotio tom. 3. part. 2. sect. 4. cap. 1. & Pater Fortunatus à Brixia in philosophia sensuum mechanica tom. 2. tract. 1. sect. 2. dissert. 1. proposit. 1. Scholio 2. ubi adductis contrariis opinionibus cum suis præcipuis fundamentis in §. verum sic expresse concludit: "Verum ejusmodi momenta tanti neutiquam sunt, ut à communi de physica telluris rotunditate sententia nos recedere cogant." Prius Theologus noster dixerat: quum Purchotio, vel Patre Fortunato à Brixia utitur, inoffenso pedè Ferraris legi potest, nunc non sibi constans vult, opinionem de terræ rotunditate esse antiquatam, quamvis à tantis Auctoribus traditam, & novissime defensam à dictis Purchotio, & Fortunato, quibus ipse jure merito fidi. Tandem Theologus noster pro sua comitate concludit: Cetera Ferraris sphalmata quisque primo intuitu cognoscet. Ast vero rite pensatis omnibus à me ibi adductis ad cuncta mea asserta probanda, censent quæ rerum æstimatores indebitam, injuriosam atque indignam tantam ipsi à Theologo nomenclaturam, ipsuque amantem ad præfationem recol. nem. Benedicli XIV. sui primi toni de synod. diocesana S. Porro, ubi inter alia sic expresse habet: Ferraris, Bibliothecæ, Tom. VI.

"nihil contumeliose jacentes in alios, quantumvis ab opinione nostra longe dissentiant; id enim homini Christiano indignum, & honesto viro indecens existimamus. Neque vero minus valide unumquemque sententiam suam tueri posse censemus, si ab aliorum contemptu & injuria absteineat." †

MUNERA, SEU DONA.

Vide verb. Xenia.

MUSICA, MUSICUS.

SUMMARIUM.

- Musica in ecclesiis est de Jure permitta.
 - Episcopus non potest prohibere, ne in ecclesiis fiat musica; bene tamen potest præcipere Musicis, quod non canant nisi verba sacra, & musica sit devota, & ecclesiastica.
 - Neque potest Episcopus prohibere Musicis, ne canant in illis Ecclesiis, ubi non regit Magister Capelle Cathedralis.
 - Neque quod Musicis non accedant ad canendum sine sua licentia.
 - Prohiberi non debet Musicis usus fistulæ, seu cornicule, quæ viget etiam Rome.
 - Musica non decet in officio Quadragesimæ præsertim cum instrumentis, & si est occasio alicujus scandali.
 - Musica in lectu importuna narratio.
 - Conceditur licentia Regulari, ut possit esse Magister Capelle, seu Cantor cathedralis, vel alterius ecclesie.
 - Non conceditur, quod Moniales possint à viris doceri cantum, seu musicam, vel sonum, nec ad crates, nec ad portas.
 - Nisi brevi tempore pro cantu Gregoriano.
 - Ocasione musicæ nulla Monialis eximi potest à choros, vel ab oneribus monasterii communibus.
 - Musica in ecclesia exteriori Monialium pro aliquibus principalioribus festivitibus toleranda est, ubi adest talis consuetudo: secus vero non.
 - Episcopus prohibere potest, ne musica in ecclesiis canatur lingua vernacula.
 - Cantiones vulgari sermone in festo Sanctissimi Sacramenti cantare non convenit.
 - Musicis conducti à Capitulo pro cantu ecclesie possunt ab illo expelli adinstar famulorum absque ulla causa.
 - Musici ecclesie cathedralis gaudent privilegio fori.
 - Musicis, qui non sunt de gremio Capituli, debent cedere præcedentiam Clericis Beneficiatis.
 - Musici non excusantur à jejuniis ratione cantus, nisi per illud voces corrumpent, & redentur inhabiles ad canendum.
 - Organorum usus quando inceperit in ecclesiis.
 - Organa, & instrumenta musica nequeunt adhiberi in missis Defunctorum.
 - Pro complemento offeruntur quedam ex Sap. Tostato.
 - Alia ad rem remissive.
- Ut honorificetur Deus in Sanctis suis, musica in ecclesiis est de Jure permitta, textu expresso in extrav. Docta, unic. de vita & honest. Cleric. & tradunt communiter Doctores cum Pignatell. tom. 3. consulti. 41. per tot. Unde Ecclesiastici 42. num. 5. habetur, non esse impediendam musicam, ibi: Non impedias musicam; & ibid. cap. 47. num. 11. commendatur David eo quod stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos.
- Hinc Episcopus non potest præcipere, quod in ecclesiis

clesis non fiat musica (exceptis Monialibus) sed bene poterit Musicis præcipere, quod non canant, nisi verba sacra, & quod musica nihil immodestum, aut turpe sapiat, & tota sit devota, & Ecclesiastica, prout jussit Alexander VII. 23. Aprilis 1657. & Innocentius XII. 20. Augusti 1692.

3 Neque potest Episcopus prohibere Musicis, ne canant in illis ecclesiis, ubi non regit Magister Capellæ Cathedralis: Sacr. Congreg. Episcop. 11. Mart. 1648.

4 Neque quod Musicis non accedant ad canendum sine sua licentia, ut contra edictum Episcopi Aquilani talia prohibentis rescripsit Sacr. Congr. Episcop. & Regul. 2. Decembris 1695. referente Eminentiss. Cardin. Petrucci.

5 Prohiberi non debet Musicis usus fistulæ, seu corniculæ, qui viget etiam Romæ, non obstante decreto Concilii Provincialis, quando non fuit receptum neque in Metropolitana, Sacr. Congreg. Episcop. & Regul. in Bergomen. 22. Novemb. 1593.

6 Musica non decet in officio Quadragesimæ, præsertim cum instrumentis, & si sit occasio alicujus scandali: Sacr. Congr. Episcop. in Patavina 27. Martii 1601. apud Nicol. in Floscul. verb. Musica n. 3. Unde Ecclesiastici 22. n. 6. dicitur: Musica in luctu importuna narratio.

8 Conceditur licentia Regulari, ut possit esse Magister Capellæ, vel Cantor Cathedralis, vel alterius ecclesie: Sacr. Congreg. Episcop. & Regul. in una August. Lombard. 28. Jan. 1606. & in alia Servitarum 22. Febr. ejusdem anni.

9 Non conceditur, quod Moniales possint à viris doceri cantum, seu musicam, vel sonum, neque ad crateres, neque ad portas: Sacr. Congr. Episcop. in Agrigentina 23. Aprilis, in Parmen. 8. Maji, & in Regiensi. 23. Julii 1602. in Maeraten. 17. Febr. in Messanen. 10. Junii, & in Anconitana 15. Sept. 1603. in Neapolitana 8. Novemb. 1604. & 5. Julii 1647. apud Nicol. loc. cit. num. 5. Nisi brevi tempore pro cantu Gregoriano, eadem Sac. Congr. Episc. 2. August. 1647. 5. Jan. 1649. 21. Jan. 1650.

11 Occasione musicæ nulla Monialis eximi potest à choro, vel ab oneribus monasterii communibus sub pena privationis veli, vocisque activæ, & passivæ, & aliis arbitrio Sacræ Congregationis, eadem Sacr. Congreg. Episc. in Anconitana 16. Sept. 1603.

12 Est decretum generale Sacræ Congregationis esse tolerandam musicam in ecclesia exteriori Monialium, præsertim in quibusdam festis principalibus, ubi est talis consuetudo; ubi vero consuetudo non adest, non esse de novo concedendam; eadem Sacr. Congr. Episc. in Neapolitana 10. Nov. 1582.

13 Vigore decreti Concilii cap. 8. sess. 22. de celebratione missar. non obstante quacumque contraria consuetudine, poterit Episcopus prohibere, ne in ecclesiis, & oratoriis publicis canatur musica lingua vernacula, quantumvis cantunculæ, & verba spiritualia sint; Sac. Congr. Rit. in Hispal. 3. Sept. 1695. & 24. Nov. 1696. referente Eminentiss. Card. Colloredo in responsione ad quartum; quia cantus hujusmodi est contra Ritus ecclesie. Et eadem Sacr. Congr. Rit. in una Abulensi 21. Mart. 1609. jam decreverat, quod cantiones vulgari sermone in festo Sanctissimi Sacramenti cantare non convenit.

15 Musicis conducti à Capitulo pro cantu ecclesie possunt ab illo expelli adinstar famulorum absque ulla causa: Rota in Majoricensi Juris amovendis Musicos 14. Jan. 1729. per rot. coram Molino. Sic refert Ursaya in miscellano sacro, & profano part. 2. verb. Musicus.

16 Musicus ecclesie cathedralis gaudet privilegio fori: Sacr. Congr. Immun. in Urbeveterana 28. Nov. 1653. apud Pignatell. t. 4. consult. 90. n. 11.

17 Musicus, qui non sunt de gremio Capituli, in processionibus, & aliis actibus publicis non debent præferri Clericis Beneficiatis; unde non debent incedere cum Beneficiatis, sed immediate post crucem, non obstante consuetudine: Sacr. Congr. Rit. in Urbeveterana 20. Novembris 1610. & 15. Januarii 1611. & in

Vigilien. 8. Octobr. 1650. apud Pignatell. cit. consult. 90. a num. 1.

Musici non excusantur à jejuniis ratione cantus, nisi per illud voces corrumpent, & redderentur inhabiles ad canendum, quia tunc parentur grave incommodum, cum vivant ex voce grata: La Croix lib. 3. p. 2. num. 1349. cum aliis ibi citatis.

Organorum usum in ecclesiis incepisse tempore Vitaliani Papæ circa annum Domini 660. refert ex Platina Pignatell. tom. 3. consult. 41. n. 8. ubi dicit hanc esse verriorem, & communioem sententiam: Alii autem apud Crosolium in Myrtago lib. 3. n. 27. organa cepisse audiri in ecclesia permittere S. Damaso Pontifice, qui creatus fuit Summus Pontifex 15. Septemb. anno 367.

Organa, & quæcumque alia instrumenta musica nequeant adhiberi in missis defunctorum; sic Benedict. XIII. in Concil. Romano tit. 15. cap. 6.

Pro complemento afferuntur quæ de musica habet Sapientissimus Tostatus tom. 1. in Genes. in epistolam Divi Hieronymi ad Paulinum cap. 6. verb. Musicus: ibi: Musica enim harmonicis vocibus, tubarum flautibus, & pulsatilibus concepat organis; de hoc ait Augustinus: A terra usque ad cælum mensura celestis musicæ mensuratur; est namque in terra, Gamaut, in Luna, A re, in Mercurio, Be mi, in Venere, Ce fa ut, in Sole, De sol re, in Marte, E la mi, in Jove, Effa ut, in Saturno, Ge sol re ut. Sunt namque à terra usque ad firmamentum septem toni; à terra usque ad Lunam, est unus tonus; à Luna usque ad Mercurium est semitonium; à Mercurio usque ad Venerem, est semitonium; à Venere usque ad Solem, sunt tria semitoniam; à Sole usque ad Martem, est unus tonus; à Marte usque ad Jovem, est semitonium; à Jove usque ad Saturnum, est semitonium; à Saturno usque ad firmamentum, sunt tria semitoniam: quæ universa conjuncta septem tonos efficiunt. Tonus autem secundum quosdam continet quindecim millia miliaria; hæc ille, qui in Josue cap. 10. quest. 14. addit sic: Philosophi tamen dicunt, esse in Cælo omnes proportionem harmonicis Musicorum, & esse tonos, atque semitoniam: Non quidem quod ibi sit aliqua vox, secundum quam considerantur istæ proportionem: Sed accipiuntur isti toni, & semitoniam, vel proportionem vocum secundum duo, scilicet secundum magnitudinem, & proportionem distantie Cæli unius ab altero, computando à superficie concava cujuslibet usque ad convexam, & quia non sunt omnes cæli æquales in magnitudine; & proportio magnitudinis, & distantie planetæ à planeta, secundum hoc à quibusdam planetis ad alios sunt semitoniam, ab aliis vero ad alios sunt toni integri; sicuti describit Martianus Mineus Felix Capella lib. de nuptiis Mercurii, & Physiologie: hæc ibi.

Musici instrumenti sonatores Christiani prohibentur inservire in Infidelium festivitibus, & sacrificiis; Benedictus XIV. in Constitutione Omnium Sollicitudinum §. 3. & 14. Alia ad musicam, & musicos pertinentia videri possunt in Constit. ejusdem Benedicti XIV. incip. Annus à §. 3. usque ad §. 14. (Inter alia, (vid. lib. E pag. 283. num. 62.) quæ per leg. 27. tit. 5. p. 1. Episcopo commendantur, scientia musicæ una est.)

MUSICA.

Vide Cantiones.

MUTUUM.

SUMMARIUM.

- 1 Mutuum unde dictum.
- 2 Mutuum quid sit.
- 3 Mutuum dare, & accipere possunt omnes illi, qui possunt contrahere.

4 Civitas, ecclesia, monasteria, & alia pia loca non obligantur ad restituendum, & solvendum mutuum, quod eorum Rectores, seu Administratores acceperunt, nisi creditor probet mutuum in civitate, vel ecclesia, seu aliorum piorum locorum utilitatem concertum fuisse.

5 Filius, vel filiafamilias, si sine consensu parentum pecuniam mutuo acceperint, neque ipsi, neque parentes ipsorum tenentur ad restitutionem mutui.

6 Filiafamilias non obligantur ad restitutionem mutui etiamsi 25. annum sue ætatis excedant.

7 Filiafamilias neque post obitum parentum tenentur ad restitutionem mutui, quod ipsis viventibus acceperunt.

8 Tale privilegium valet non solum pro foro exteriori, sed etiam pro interiori conscientie.

9 Excipiuntur multi casus, in quibus filiafamilias, & quandoque ejus pater tenetur mutuum restituere. Primus igitur casus est, quando filius habet bona castrensia, vel quasi castrensia.

10 Secundus casus est, quando pater approbat mutuum acceptum à filio, vel filius mutuum accepit jussu patris, seu ipso sciente, & non contradicente, & Pater erat solitus solvere mutuum filii.

11 Tertius casus est, quando filius tempore recepti mutui credebatur esse sui juris.

12 Quartus casus est, quando filius mutuum accepit, & insumpsit in commodam, & utilitatem patris.

13 Quintus casus est, quando filius mutuum accepit ob causas, propterquas pater secundum rectam rationem tenebatur subministrare.

14 Sextus casus est, quando filius tempore mutui accepti erat militia additus.

15 Septimus casus est, quando filius mutuo accepit non pecuniam, sed aliam rem, dummodo sine ulla fraude legis.

16 Octavus casus est, quando filius non accepit mutuum, sed sibi juberet pro mutuario sine fraude legis.

17 Precisis supradictis casibus filiafamilias non tenentur ad restitutionem mutui, etiamsi renuntiaverit privilegio Macedoniam.

18 Immo filiafamilias nec tenetur ad restitutionem, etiamsi juraverit tale mutuum restituere.

19 Adactus, & solvitur instantia.

20 Pupillus habens tutorem, & minor habens curatorem, si sine tutoris, vel curatoris consensu aliquid nomine mutui accipiat, de jure civili non tenetur ad restitutionem, si illud amisit, aut imprudenter consumpsit: tenetur tamen si ex ipso in aliqua parte factus est diuor, & hoc etiam in foro conscientie.

21 Mutuare indigentibus est constitum, nihil tamen sperare tanquam debitum ex ipso mutuo est perceptum.

22 Usura est prohibita, nedum jure humano ecclesiastico, sed etiam jure divino.

23 Mutuare ea intentione, ut acquiratur aliquid ex mutuo tanquam debitum, ex justitia, & si id minus principaliter intendatur, est usura.

24 Mutuare cum pacto conferendi aliqua supra sortem non tanquam debitum justitie sed gratitudinis, est usura.

25 Mutuans non potest aliquid supra sortem exigere à mutuario, ex quo se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

26 Mutuans non potest aliquid supra sortem exigere à mutuario pro sola carentia pecunie, quam ei actualiter numeratam mutuo dedit.

27 Mutuans cum pacto, ut mutuatarius si vendat res suas, etiam justo pretio, vel ut emat res ad ipsos, vel ut utatur ejus molendino, seu frequenter ejus officina, vel ut patrocinetur sue causa, vel ut conducat ejus prædium, vel ut restituat in alio loco, vel ut restituat partem in pecunia,

& partem in mercibus, vel ut eum eximat à tributis, seu vectigalibus, vel ut præstat munus à lingua, à manu, ab obsequio, & his similia, committit usuram.

28 Item usuram committit mutuans cum pacto, ut mutuatarius teneatur sibi juberet pro ipso.

29 Mutuare frumentum, vel vinum de præsentibus, quo minoris valet, cum pacto, ut restituatur in eadem quantitate pro tempore, quo prævidetur certo, vel quati certo pluris valiturum, est usura.

30 Non est tamen usura, si sit æquale dubium, an pro tempore restitutionis sit valiturum pluris, vel minoris.

31 Sic pariformiter est dicendum de pecunia mutuata cum pacto, ut restituatur in eadem omnino specie, & numero pro tali certo tempore.

32 Excipe tamen, nisi ipse mutuator talem pecuniam, tale vinum, tale frumentum, & hujusmodi servaturus esset usque ad illud tempus, quo pluris distrahere potuisset.

33 Mutuans potest sine labe usure pacisci, ut mutuarius teneatur aliquid ultra sortem ei restituere ratione damni emergentis.

34 Ut autem juste, & licite exigatur talis compensatio damni emergentis, requiruntur tres conditiones, quæ assignantur.

35 Mutuans potest licite pacisci cum mutuario, ut ei teneatur præstare aliquid ultra sortem ratione lucris cessantis.

36 Ut autem juste, & licite exigatur talis compensatio lucris cessantis, requiruntur iidem tres conditiones, quæ assignantur.

37 Mutuans potest licite exigere aliquid proportionatum ultra sortem ratione periculi ipsam sortem amittendi, aut difficultatis eam recuperandi.

38 Mutuans potest licite aliquid moderatum exigere à mutuario ratione pæne conventionalis.

39 Mutuatarius, qui non pecuniam, sed alias res mutuatus est, & eas, quales esse debent, non reddidit, aut eas non reddidit in tempore, seu loco convento, tenetur solvere justam earundem rerum estimationem pro tempore, & loco, in quo eas reddere debebat.

40 Si autem non convenit cum mutuantem, nec de tempore, nec de loco, in quo eas reddere deberet, tunc reddere eas debet secundum estimationem, quam habent in tempore, & loco, in quo petuntur, & restituuntur.

41 Si vero res fuerint mutuo acceptæ secundum estimationem factam in tempore, & loco mutui accepti, tunc mutuatarius eas reddere debet secundum talem estimationem, licet in tempore, & loco restitutionis cariores, seu viliores evaserint.

42 Si autem estimatio facta non fuerit in ipso mutui tempore, & loco, tunc res reddi debent secundum estimationem, quam habent in tempore, & loco, quo restituenda sunt.

43 Et si non facta estimatio, tunc debent restituere que de loco fuerint conventum, tunc debent restituere secundum estimationem, quam habent in loco, & tempore, quo petuntur, & restituuntur.

44 Mutuans accepto pignore à mutuario cum pacto, ut interim fructus pignoris lucratur, nisi addidit alius justus titulus, committit usuram, & tenetur tales fructus perceptos ex pignore computare in sortem.

45 Assignatus primus justus titulus percipiendi licite fructus ex pignore sine diminutione sortis, & est, si Creditor fundum oppignorandum, seu oppignoratum justo pretio emat cum pacto revertendi, quousque debitor voluerit pretium refundere.

46 Secundus justus titulus percipiendi tales fructus ex pignore est, si fundus fructiferus acceptus in pignus adjecto contractu censuali.

47 Tertius justus titulus percipiendi fructus ex pignore est, si pignus sit datum marito, donec